

## A P O L L I N E A.

*Specimen I. De Apollinis origine.*

De Apolline eiusque apud Graecos auctoritate scribere conati sunt tam multi, ut minime mirandum esset, si ceteri dii scriptis istis iam invidere eumque, qui de Apolline etiamnum cuperet disserere, gravi ira persequi coepissent. Maxime Minervam equidem vereor, quae non solum gerat apud poemam terribilem illam hastam:

ἄλκιμον ἔγχος, ἀκαχμένον δέξει χαλκῷ,  
βριθὺ, μέγα, στιβαρὸν, τῷ δάμνησι στίχας ἀνδρῶν  
ἡρώων, τοῖσίντε κοτέσσεται δρυιμοπάτρῃ. Od. I. 99 sqq.

sed etiam res nostras omnes haec quidem summo imperio regere praedicatur:

τὸ δέντελὲς, φ' ἐπινεύσῃ  
Παλλὰς, ἐπεὶ μόνη Ζεὺς τόγε θυγατέρων  
δῶνεν Ἀθηναῖς, πατρῷϊα πάντα φέρεσθαι. Call. εἰς λ. II. 131 sqq.

Nam persuasum erat antiquis, quaecunque homines aggrederentur, bene et prospere ea perfici non posse nisi grata Minerva. Ego vero Minervae quum post Apollinem tempus et studium hoc meum dedicaverim, sperare certe possum fore, ut quo vehementius scriptorem rerum suarum ipsa desideret, eo facilius et melius a me hic de Apolline liber absolvatur. Grata igitur Minerva videbit, ne mihi accidat, quod in tot viris doctis, qui de Apolline scribendi conatum fecerunt, factum revera est, ut non res Apollineas, sed eas, quas ipsi somniavisserint, magno eruditiois apparatu componerent. Ne scriptores antiquos commemorem, nostris temporibus quanta exstitit multitudo eorum, qui velut milites praedandi cupiditate elati, signo dato, crumpunt stipato agmine, non ut hostium aciem aggressi virtutis ac fortitudinis praemia pugnando consequantur, sed victoriae et honoris omnino obliti, ut castra quam celerrime, vel per abdita et invia advolantes, irruant, maximam pro se quisque prædam inde furoris instar rapturus. Sed ne quis de viris istis dictum hoc esse putet severius, de sententiis, quas proposuerunt, paulo uberius et fusius disputandum est.

Quisquis de rebus antiquorum sacris exponere animum induxit, duo praecipue ei videnda sunt: primum ut exploratum habeat, quantum id quidem ex iis quae accepimus fieri potest, quae fuerint res ipsae; deinde ut illas res tenebris erutas et ante oculos nostros positas ita explicet, ut plane perspiciatur, unde exstiterint, in quem finem inclinaverint, denique quae ipsarum fuerit vis atque natura. Duplex hoc officium facile intelligitur, quantum unum ab altero distet. Primum enim adeundi sunt fontes, ea quae ab antiquis in libris passim notot a sunt diligenter colligenda, collectis lux artis criticae afferenda, denique quid certum probatumque sit statuendum. Quae nisi omnibus ex partibus

bene fuerint explorata, nescio an quis recte explicare ullam rem possit. Verum enim vero inter viros doctos quanta exorta est sententiarum discrepancia ex eo ipso, quod priusquam explorassent, voluerunt explicare? Quo factum est, ut non veros antiquorum deos in describendo sequerentur, sed novos ipsi invenirent eosque iam describerent, quos aut ipsi ante excogitavissent, aut miras in formas misere mutassent. Mehercule, scribebant hi viri non iam de summis antiquitatis monumentis, sed de vagis labentis aetatis somniis. Sed ut ad Apollinem revertamus, vix credis, qualem in libris suis Apollinem isti finixerint. Satis erit, interpretationes, quas de Apollinis nomine excogitaverunt, nonnullas attulisse.

Iis igitur, qui Plutarchi libros legerant, maxime placuit *Απόλλωνα* derivare ab adiectivo πολύς et α, quod grammatici dicunt privativum. Quibus interpretantibus deus significatur, a quo omnes mutationes, omnes perturbationes sint alienae. *Απόλλων*, inquit Plutarchus de *ei* apud Delph. 20, οἶος ἀγροίμενος τὰ πολλὰ καὶ τὸ πλῆθος ἀποράσκων ἐστίν. Putaverunt enim, vim quandam divinam admirabilemque naturae divinae manifestationem hoc nomine esse expressam. (1) Alii Euripidem sequebantur, qui delendi sive perdendi vim Apollinem interpretatus est:

Απόλλω δ' ἐν βροτοῖς σ' ὁρῶς καλεῖ,  
ὅστις τὰ σιγῶντα ὀνόματ' οὐδὲ δαιμόνων. (2)

Quam interpretationem et ipse Phurnutus (3) accepit, sed ne de diis impie sentire videretur, munera Apollinis aliter exposuit; dicit enim, ab Apolline non homines aut bestias occidi, sed terrae tolli humorem. Certe mirum est, quod in eandem sententiam etiam e nostris iverit G. Hermannus, verbi ἀπόλλυμι hic quidem similitudine permotus (4). Huic autem sententiae iamdudum repugnabant multi iisque gravissimi viri. Imprimis C. O. Muellerus: Die Ableitung inquit, von ΟΛΩ haben wir als eine einseitige Bestimmung zu stark hervorhebend verworfen (5). Itaque universam Apollinis naturam ipse subtili nominis interpretatione comprehendere conatus est. Nam quum antiquissimam

1) Τέ οὖν ὄντως δὲ λοτι; τὸ διδιον καὶ ἀγένητον καὶ ἀφθαστον, ὃ χρόνος μεταβόλην οὐδὲ εἰς ἐπάγει... ὅθεν οὐδὲ δουλὸν ἔστιν οὐδὲν τοῦ ὄντος λεγειν, ὡς ἦν, ἢ ἔσται... ἀλλ' ἔστιν δὲ θεός, χρὴ φάναι, καὶ ἔστι κατ' οὐδένα χρόνον, ἀλλὰ κατὰ τὸν αἰώνα τὸν ἀκέλητον καὶ ἀγέγκλατον, καὶ οὐ πρότερον οὐδὲν ἔστιν, οὐδὲν ὑστερον, οὐδὲ μέλλον, οὐδὲ παραχρημένον, οὐδὲ προεβύτερον, οὐδὲ νεώτερον δὲλ εἰς ὃν τῷ τῷ τὸν τὸ δὲ πεπλήρωσε, καὶ μόνον ἔστι τὸ κατὰ τοῦτον ὄντος ὅν, οὐ γερονός, οὐδὲ ἑδύμενος, οὐδὲ παναόμενον... οὐ εἴραι δεῖ τὸ ὅν, δοπεὶ δὲ τὸ ὅν ἢ δέτεροντης, διαφορὰ τοῦ ὄντος εἰς γένεσιν ἔξτατα τοῦ μη ὄντος. Plut. I. 1. Haec doctrinae christiana laude digna dubito, an dici unquam ex sententia tantum Platonicorum potuerint. Rapiebant autem ipsa nomina deorum in auxilium isti, ut a christianis sese defenderent. Eodem enim modo et cetera Apollinis cognomina Plutarchus interpretari conatus est. *Ἴητος*, inquit, ὡς εἰς καὶ μόνος. *Φοῖβος* δὲ δῆπον τὸ καθαρὸν καὶ ἀγρὸν οἱ παλαιοὶ πᾶν ὀνόματον, ὡς ἔτι Θεσσαλοὶ τοὺς ιεράς ἐν ταῖς ἀπορράσιν ἡμέραις, αὐτοὺς ἐφ' ἑαυτῶν ἐξ διατορβοτας, φοῖβορομεῖδαι λέγονται. Et ubi Apollinem cum Plutone comparat, subiungit: λέγεται γὰρ δὲ μὲν *Απόλλων*, δὲ *Πλούτων*, καὶ δὲ μὲν *Ἄγλιος*, δὲ *Ἄιδωνεύς* καὶ δὲ μὲν *Φοῖβος*, δὲ δὲ *Σκότιος*. I. 1.

2) cf. Fragm. 2. Matth. Müller, Dorier I. 291.

3) de nat. deorum 32.

4) de Apoll. et Dian. Lips. 1836. Virum doctissimum fugit, hanc interpretationem iam ipsius nominis forma impediri. Nomina enim composita omnino posterioris sunt aetatis neque homines a principio iis quidem usi sunt, ut deos nuncuparent, sed iis, quae munus quoddam divinum simplici forma designant. Quo fit, ut nulla nostrarum linguarum ratione habita possimus statuere, quo modo a principio deus hominibus appellandus fuerit.

5) Dorier I. 303.

nominis formam Απέλλων in arguento posuisset, Apollinem dixit esse duendum a voce *FEΛ* (*FEΑF*, ἔλλω, ὕλλω, εἴλλω, volvo), aut *EΛ* (ἔλασαι, ἔλανει). Quae nominis interpretatio idem fere significat quod averuncus, neque te fugiet, ex hac notione facilime duci posse ea, quae de Apolline praedicantur. Quid enim cognomina Apollinis multa illa significant aliud? (1) Porro quod litera ε transiit in o, nullam movet suspicionem; idem enim in aliis verbis saepe factum esse constat, ut θελήσι et θολήσι perhibetur. Quo factum est, ut Muellero assentirentur iam plurimi. (2) Hi igitur quamquam in hoc consentiunt, tamen, ubi notionem illam genuinam explicare conantur, vehementer inter se disceptare solent. Naturae Apollineae vis depellens, quam Muellerus primus statuit, a novissimis mirum quantum hinc inde vertitur. Nullum enim verbum est, quod ita detorqueri non possit, ut denique enunciet idem quod est depellere. Quae vero sunt quamque diversa illa, quae depellere Apollo dicitur? Forchhamero enim explicante depellendi vis in eo cernitur, quod vere ineunte fluvios rapaces Apollo coercent siccatque paludes et stagna (3). Ex aliorum sententia depellit Apollo, magnos et assiduos imbres cohibens, aut finem afferens nivibus et grandinibus; depellit Apollo, nubes dispergens ceterasque tempestates et procellas sedans; depellit denique, frigora frangens totumque coelum serenum reddens et mitigans. (4) Hi igitur Apollinis nomen graecis literis explicandum esse omnes dixerunt, summam pro se quisque fiduciam prae se ferentes. Alii autem, relictis graecis, aliunde nominis originem petere non tantopere dubitaverunt. Hitzigius enim ex Mosis libris Apollinem repetiit. Cuius interpretatione Apollo idem est qui Jabal (I. Mos. 4, 20), eiusque genuina notio יְהוָה, quod fluminis cursum significat. (5) Jam ante Hitzigium Sicklerus hebraicis literis ad Apollinem explicandum usus erat; assumpsit autem hic verba hebraica וִז (== vis) et פָּלֵל (== dividere), ut Apollo sit ea vis, qua anni tempora in partes diversas dividantur. (6) Neque ad postremum viros sanscriticae linguae deditos praetermittere hoc loco fas erit. His autem ducibus nomen Apollinis conflatum est ex *Ap*, quod aquam significat, et *well*, *wellāmi*, quod est ire, eo: Apollo igitur deum designat, qui aquam vel mare pertranseat. Sed haec hactenus.

Jam enim metuendum est, ne tot tamque miras virorum doctorum interpretationes enumerari a me moleste feras. At quo magis ex eo quod digressus sum manifestum sit, futiles esse explications, quaecunque ex unius nominis interpretatione, ceteris Apollinis rebus omissis, excogitantur, eo minus de eo quod supra dixi dubitabis, de diis antiquis, priusquam plane fuerit exploratum, explicandum non esse. Duo autem omnino sunt de rebus antiquis explorandi genera: unum quod versatur in singulis monumentis cognoscendis et describendis, quo genere numerantur multi illi e nostris, qui

1) Άλεξανδρος (Paus. 1, 3, 3.), Άλεσιος et Άλεστων (Paus. 6, 24, 5. Eur. And. 900), Έπικούρεος (Paus. 8, 41, 6.) Προστατήρος (Paus. 1, 44, 2.), Προόψις (Paus. 1, 32, 2.), Άποτροπαῖος (Paus. 2, 11, 2.), Οὐλίος (Müller 1, 1.), Παύει, Άγρειος (Müller 1, 1.), Άγραιος, Άγρευτας, Θρησυτάς (Soph. O. C. 1091.), Καταιβάσιος (Schol. Eur. Phoen. 1446), Έσατος, Έσάργος, Έσατηβολος, Έσατηβελέτης (Hom. Il. p.), Άφριτων (Paus. 3, 13, 4.), Άφριταιος, Έπιβατήρος (Paus. 2, 32, 2.)

2) conferas, quae s. 3. posui.

3) Apollon's Aufunft in Delphi. p. 9 sqq.

4) cf. Schwartz de antiquissima Apollinis natura. p. 33 sqq.

5) Uegeföhlte und Mythologie der Phönizier, Leipzig. 1845. p. 70 sqq.

6) Hieroglyph. im Mythus des Nestorlap, p. 7.

penatibus relictis loginas terras petierunt, ut antiquitatis vestigia, quae quidem adhuc exstant, diligenter investigarent, artis monumenta oculis collustrarent, tabulis pingerent, libris describerent. Praeclare in hoc quidem genere de Apolline meritus est Stackelberg, libro de Apollinis templo, quod olim Bassis in Arcadia fuit, doctissime edito. (<sup>1</sup>) Alterum genus eorum, qui explorandis rebus antiquis se dediderunt, non tam in describendis singulis monumentis collocatum est, sed colligunt huius quidem quaecunque exstant monumenta in unum, ut totam rerum seriem quasi uno obtutu conspiciant, tempora cuiusque definiant accuratamque totius historiam praesentent. Multa eiusmodi monumenta, quibus res Apollineae illustrantur, collegit C. O. Muellerus libris de graecorum gentibus earumque origine editis et prolegomenis ad mythologiam scriptis. Hic igitur, cui non solum ingenii, sed etiam doctrinae laus ab omnibus summa tribuitur, Apollinem statuit deum fuisse Doriensium. Docet enim, Dorienses non modo inde ab initio quam maxime coluisse Apollinem, sed etiam inter gentis huius indolem naturamque Apollineam tam arctam esse coniunctionem tantamque similitudinem, ut deus nihil fere aliud sit, quam huius gentis virtutumque eius imitatio. Id quidem a viris doctis iamdudum animadversum erat, talem inter gentes antiquas earumque deos coniunctionem intercedere. Wilsterus (<sup>2</sup>) deum dixit ingenii popularis personam gerere. At Apollinem solis Doriensibus vindicare ante Muellerum nemo ausus erat. Erant quidem, qui in tanta personarum divinarum apud Graecos varietate explicanda iudicarent, ingentem horum deorum numerum ex eo exortum esse, quod diversae illae gentes, quae tempore antiquissimo Graeciam incolebant, in unum paulatim populum coalusserent: quo factum esse, ut diversae gentes suum quaque deum in Olympum, commune illud deorum graecorum concilium, intulissent. Eckermannus: Man thut, inquit, den Griechen Unrecht, wenn man ihnen von Anfang an Polytheismus aufzuerden will: jeder Stamm hatte seine eigne Gottheit, und diese Eine Gottheit war ihm Repräsentant alles Göttlichen in der Natur. (<sup>3</sup>) Atque alio loco addit: Der Glauben der Heiden ist weit, der Polytheismus hat nicht die ausschließende Richtung des Christenthums. Das Aneignen des Fremden ist aber da besonders leicht, wo ein Cult aus verwandten Gefühlen entstanden ist. Die griechischen Stämme haben in der Regel die verschiedenen Culste, welche sie bei ihren Wanderungen vorsanden, neben den alten eigenen gepflegt. (<sup>4</sup>) Cum his igitur Muellerus, quod quidem Apollinem attinet, aliquatenus consentire videtur. Quamquam diversa huius atque illorum est ratio. Muellerus enim Apollinem fecit Doriensem, quum admirabilem quandam inter deum et gentem similitudinem ex ipsis historiae monumentis rerumque ipsarum contemplatione cognovisset;

1) Der Apollotempel zu Bassa in Arkadien und die daselbst ausgegrabenen Bildwerke. Dargestellt und erläutert durch O. M. Baron von Stackelberg, Rom 1826. cf. F. Grenzer's deutsche Schriften. II. Bd. 81 ff.

2) de relig. et orac. Apollinis Delphici. p. 8.

3) Melampus p. 25. Cui assentitur Hoffsterus (Geschichte der Religion der Griechen und Römer, p. 27): Die Griechen erkannten anfangs gewiß nur Einen Gott. cf. Müller, Orphomenos, 457: Darin liegt der erste Ursprung und der Beginn aller Polytheismus, daß die unendlich ferne, eine und ewig ruhende Gottheit, die über alles Sinnens hinansiegt, und doch mit dem Anfang jedes Sinnens gegeben war, — und die unmittelbar nahe, ewig bewegte und vielfestalente, in Wechsel und Täuschung lebende und sterbende Gottheit und Natur für die Betrachtung auseinanderfielen und einzeln symbolisiert wurden, dann aber doch wieder, die Welt schöpfung in das Geheimniß der Zeugung gehüllt, geeinigt und vermittelt werden sollten.

4) Religionsgeschichte und Mythologie. I. 232.

at illi, ut importunam istam Olympicorum turbam facilius discernant, ratione magis quam rebus demonstrare conantur, ingentem deorum numerum ex ipsarum gentium diversitate confusum atque paulatim in hominum usum esse inventum. Certe a recentioribus hoc praeclare dictum et exploratum est. Antea enim de origine deorum antiquorum sententias quam miras, quam rediculas tueri viri docti consueverant! Heynius deorum origines ex inusitato quodam modo loquendi, quem sermonem symbolicum et mythicum dixit, explicare volebat. (¹) Vossius primos deos nihil aliud fuisse censuit quam vires quasdam naturae, quas ex rerum adspectu homines mente conceperint; quare Homerum, qui in tam humanas formas deos descripsisset, ipsis diis praedicabat divinorem. Alii quum recte quidem indicavissent, dei notionem hominibus non fortuito allatam extrinsecus, sed inde a principio in eorum animis fuisse insitam et quasi consignatam, (²) tamen in hac dei notione explicanda non omnem reprehensionem effugerunt. Muellerus ipse quamquam deorum origines a rebus externis duci posse negat, (³) tamen propter magnam rerum varietatem ratus, fieri statim a principio non potuisse, ut unius dei homines tenerent notionem, initio non unum deum, sed plures ab iis cultos esse statuit. (⁴) Attamen facile intelligitur, qui hominum animis iam ante rerum contemplationem insitam dei notionem dixerit, rerum ei varietatem in argumentum vocare minime licere. Tum vero etiam quum dii, quos coluisse antiqui traduntur, tam diversi illi inter sese fuerint, ut ab unius eiusdemque gentis indole repeti non possint: quid ei, qui plures deos statuit uno deo priores, relinquatur, nisi aut negare, gentem humanam, priusquam in plures gentes discessisset, de deo rebusque divinis omnino cogitavisse, aut contendere, initio non unam hominum gentem exstitisse, sed a diversis partibus terram plures simul gentes invasisse. Muellerum vero et eos qui cum eo sentiunt in errorem id potissimum induxisse videtur, quod illius aetatis hominibus facultatem et exercitationem cogitandi non eam fuisse putaverunt, qua unius dei notionem conciperent atque intelligerent. (⁵) Quamobrem in omnibus fere gentibus contigisse, ut nonnisi perpauci iisque sapientissimi, importuna deorum turba repudiata, deum agnoscerent unum. Quid autem est, quod isti dicunt? Primum enim a sapientissimis illis, si qui fuerunt, recuperatum potius unum deum dicendum est, quam temere inventum aut subtiliter excogitatum. Tum a cogitandi facultate istud repetere argumentum non licet. Quid enim? Num nostri homines ea de causa unius dei cultum sequuntur, quod magna quisque cogitandi sublimitate utitur? Parentum potius et praceptorum disciplina eruditum unum hi quidem deum inde a pueris colendum credunt. Quae disciplina et consuetudo quum generi nostro adeo opus sit, ut sine eius auxilio ne ad humanum quidem victum et cultum venire quisquam possit, facile intelli-

1) cf. Müller, Prolegomena zu einer wissenschaftl. Mythologie, p. 319: „Jede allegorische Person heißt Θεός.“

2) Insitas deorum vel potius innatas cognitiones habemus! Cic. de nat. deor. I. 17.

3) Prolegomena p. 243: Nicht die Kräfte der Natur wurden *Θεοί* genannt, sondern die geglaubten *Θεοί* erschienen in der Natur lebendig; auch wurden nicht etwa einzelne Talente und Fertigkeiten vergöttert, sondern die schon vorhandenen Götter sieben schätzend und selbstthätig den Tätigkeiten ihrer Verehrer vor.

4) Prolegomena p. 244.

5) cf. Müller Prolegomena, p. 244 sqq. Pabst de diis graecorum fatidicis, p. 39: Prinsquam ideam unius numinis mente conciperent atque exolerent, quod omnium promiscue rerum ultima ratio esset, singulas in singulis rebus animas divinas inesse statuerunt, itaque innumeram deorum copiam crediderunt.

gitur, et ipsum primum hominem, ubi a deo creatus esset, talis institutionis factum esse participem. Institui autem primus ille generis nostri genitor qui potuit, nisi ab eo, qui ipsum creaverat? Quo sequitur, tam multum abesse, ut ab unius dei cultu primi homines fuerint aversi, ut summam potius ab hoc ipso doctrinam summaque praecēpta initio acceperint. (1)

Quae quum ita sint, iam de Apolline quaerendum esse videtur, quae eius fuerit origo et qua via in deorum graecorum Olympum invectus sit. Priusquam autem ulterius progrediamur, unum praemonendum est, ne quis de eo, unde exordiemur, incertus sit. Nome Apollinis in usum nostrum ita venit, ut complures partes huic deo attributas complectatur atque designet: quae quum inde ab initio non omnes ei propriae, sed diversis temporum spatiis diversisque in oppidis una post alteram ei attributae fuerint, Apollo antiquissimus, de quo nobis inquirendum est, a posteriore illo Graecorum discernatur necesse est. Noli igitur, quoties Apollinis mentio fit, hunc Apollinem audire, sed illum potius audias. Haec autem quam proposui distinctio maximi momenti est, plurimique ex eius incuria emanarunt errores. Quis enim non videt, et ipsum Muellerum, ut Apollinem Doriensibus vindicaret, magnam partem talibus Apollinis attributis permotum esse, quibus antiquissima eius persona nondum esset ornata? Neque alia hoc loco praetermittenda sunt, quibus Muelleri sententia labefactari videatur. Constat igitur inter omnes ipsumque Muellerum minime effugit, Dorienses fuisse unam ex illis gentibus, ex quibus Graecorum populus originem duxit: multi, Muellero praecipue praeeunte, ceteris gentibus Dorienses etiam anteponunt, ut puram et sinceram Graecorum indolem hos potissimum pree se ferre, ceteras autem, quippe magis cum alienis mixtas, minus puras esse dicant. Quicquid hoc est, illud minime dubitatur, gentes illas Graecorum, Aeoles, Achaeos, Jones, Dorienses, eadem origine esse progenitas. Unde sequitur, uno eodemque nomine olim eas appellatas fuisse. Nihil refert, utrum hoc nomen vetustissimum Pelasgis, antiquissimis illis Graeciae incolis, tribus, annon: dicas autem, quaeso, illa aetate ubi Apollo fuerit. Dicat Muellerus et si qui post eum Apollinem Doriensem habuerunt, num Apollo iam ante Dorienses natus fuerit, annon. Evidem metuo, ne iis Apollinem illo tempore exstisset omnino negandum sit. Non quaeram ulterius, quomodo Pelasgi (2) praeter Jovem excogitare et assumere novum deum potuerint; non urgeo, quod Apollini eadem fere partes tributae fuerint, quas iamdudum tenebat Jupiter. Sed omissis dubitationibus, quibus isti defatigantur et quas enumerare longum est, ea tantum proferam, unde certum de Apollinis origine iudicium faciamus.

Quisquis Homeri carmina legit deorumque aut in Olympo concessum, aut in rebus hominum

1) cf. Creuzer, *Symbolik*, passim. Geijer, *Schwedens Urgeschichte*, p. 194: Gott ist in der That ein in seiner Art so einziger Begriff, daß er nicht nach und nach von falschen und vergänglichen Göttern auf den wahren kann übergegangen sein. Dieser wahre Begriff muß im Gegenteil der ursprüngliche gewesen sein; er ist in einen falschen ausgewartet, und in jeder Mythologie liegt eine gesunde Religion, in jedem Heidenthum, das eben in dem Vergessen des Schöpfers über dem Geschöpfe besteht, bricht doch irgend ein Lichtblick von der ewigen Sonne der Allvernunft durch die Wolken.

2) cf. Bachmann, *Hellen. Alterth.* I. p. 70 ed. alt.: Blühen wir zu den Anfängen des Hellenischen als einer politischen Umgestaltung und auf das Zurücktreten des Pelasgischen zurück: so erscheint diese als im Pelasgischen begründet, die Hellenen als innigst mit dem altpelasgischen Heiligtum von Dodona verwandt, und nicht als ein wesentlich verschiedenes Hauptgeschlecht entgegengesetzt. Diese Umgestaltung ist demnach nicht als durch äußere Überwältigung des Pelasgischen von fremder Obermacht, sondern als eine aus der Mitte des Pelasgischen hervorgegangene Erscheinung zu schäzen.

7

gerendis quas sustineant personas diligenter consideravit, latere eum minime potest, Apollinem esse unum omnium fortissimum, potentissimum, spectatissimum. Quis enim deorum tristiorum Graecis cladem suscitavit, quam Apollo (Il. I., 9 sq.)?

*Αητοῦς καὶ Διὸς νίὸς, ὁ γὰρ βασιλῆς χολωθεῖς,  
νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὥργε κακήν, δλέοντο δὲ λαοί.*

Illatam enim sacerdoti suo ab Agamemnone iniuriam gravissime ulciscitur. Nam quum a deo, ut vindicaret iniuriam, sacerdos petisset, Apollo ad ulciscendum armatus illico Olympo egreditur novemque per dies in Graecorum exercitum tela immittit (I. 36—53). Non modo suos strenuissime Apollo tuerit, sed tanta ei est potestas, ut munera divina non minus quam Jupiter et ipse inter homines distribuere dicatur. Nam Calchas, Graecorum vates ille clarissimus, omnem ab eo artem edocetus fuisse fertur (I. 72, cf. 86). Apollinem p̄ae omnibus rogant Graeci, ut grassantem per exercitum luem avertat (I. 442 sqq.). Quorum sacrificiis placatus Apollo grassanti lui tandem finem imponit. Et ipsorum ventorum imperium tenet atque efficit, ut Graecorum legati, qui ad Chrysem missi erant, ad suos feliciter redeant (I. 479). Maxime autem sagittariis Apollinis gratia petenda est; omnis enim sagittandi laus ab eo aut datur, aut denegatur. Quare Minerva Pandaro persuasura, ut Menelaum sagittis petat, Apollinis p̄aecipue favorem implorandum summopere commendat (IV. 101 sqq.). Aeneas, a Diomede vulneratus, Veneris matris succursu eripi non potest; nam et in ipsam Venerem vertit Diomedes hastam teneraque deae manum vulnere afficit. Aeneas igitur a matre desertus certo occisus esset ab hoste, nisi Apollo succurisset; huius autem dei iram veritus recedit Diomedes (V. 431 sqq.). Apolline exhortante Mars in proelium ruit, Trojanis opem latus (V. 508 sqq.). Ex quibus perspicitur, ut Minervam summam Graecorum auxiliaticem, ita Apollinem summum esse Troianorum fautorem. Quamobrem duo hi dii mox finguntur de dirimendo inter Graecos et Troianos certamine pacientes (VII. 22 sqq.). Apollinem etiam Hector maxime invocat, ubi in acerrimam de patriae salute pugnam descendit (VII. 81 sqq.). Neque eius auxilium frustra imploravit; nam Aiacis hasta ictus ab Apolline rursus erigitur (VII. 272 sqq.). Ubi ceteri dii Graecis subvenire volunt, unus Apollo adversatur (X. 515 sqq.). Hector iterum per Apollinem servatur a telis Diomedis (XI. 361 sqq.). Omnino Apollini idem honor tribuitur, qui Minervae (XIII. 827 sqq.) Jovis iussu Apollo aciem Graecorum repellit, vires Troianorum restituit (XV. 225 sqq.), Hectoris animum excitat (XV. 254 sqq.). Non solum Troianos ad pugnandum impellit, sed etiam Graecos ipse aggreditur (XV. 355 sqq.). Sagittandi autem munus Apollini inter deos ita delatum est, ut et ipsi hostes arma ab eo accepisse ferantur. Sic enim Teucrum fratrem Aias rogat: *ποῦ νῦ τοι λοι ὠζύμοοι καὶ τόξον, ὁ τοι πόρε Φοῖβος Απόλλων;* XV. 440. Deinde Glaucus, vulnere accepto, imprimis Apollinem, ut sibi subveniat, implorat: qui opem fert celerrime (XVI. 514 sqq.). Sarpedon, Jovis filius, postquam a Patroclo interfectus est, patris iussu Apollo accurrit, ut illum hostibus erectum in Lyciam transportet (XVI. 676 sqq.). Patroclus autem quum iam Troiam urbem capturus sit, ab Apolline reiicitur (XVI. 698 sqq.). Denique Hectori Apollo p̄aeclarissimum p̄aebet subsidium, ut Patroclum interficiat (XVI. 715 cf. 787 sqq.). Instigat etiam Hectorem, ut Euphorbum a Menelao occisum a Graecis defendat (XVII. 70 sqq.). Acerrima pugna

de Patrocli corpore exorta, Hectori Apollo subvenit, quemadmodum Graecos tuetur Minerva (XVII. 582 sqq.). Praeclarissima autem ea sunt, quae gerit Apollo contra Achillem: primum enim in eum suscitat Aeneam (XX. 79 sqq. 103 sqq.). Deinde, victo Aenea, Hectorem adit monetque, ut Achillem caveat (XX. 375 sqq.). Ubi autem periculum imminet Hectori, ne ab Achille trucidetur, iterum eum eripit (XX. 443 sqq.). Dii quum et ipsi in certamen descendant, Apollini adversarius est Neptunus: at hi non armis configunt, ut ceteri dii, sed bellum inter se componunt (XXI. 435 sqq.). Quamquam cum Neptuno certamen Apollo devitat, tamen Troiae urbi ipsi magnopere providet (XXI. 515 sqq., 539 sqq., 596 sqq.). Agenoris enim forma induitus Achillem fallit atque ab urbe abducit (XXI. 600 sqq., XXII. 7 sqq.). Denique nonnisi urgente fato Hectorem Apollo relinquit (XXII. 210 sqq.). Delatum est igitur Apollini clarissimum illud a poeta munus, ut virum omnium praestantissimum, fortitudine Achilli proximum, humanitate et pietate omnium facile principem, tueatur atque defendat. Etiam mortuum Hectorem curat sepeliendum (XXIII. 188 sqq., XXIV. 32 sqq.). Mortem autem Hectoris gravissime ulciscitur, Paridis sagittas in Achillem dirigens (XXII. 359 sqq.).

Haec Homerica congerenda erant, ut in aperto esset, Apollini locum a poeta tributum esse inter deos summum, praeclarissimum, eiusque modi, ut iam ex his carminibus facile colligatur, unde originem deus ille duxerit. Nam primum apparet, aetate Homerica, ubi carmina quae Homeri nomine ornantur composita sunt, nisi iam sumnum apud homines cultum Apollo obtinuisse, fieri non potuisse, ut tot ei tantaque munera a poeta tribuerentur. Neque enim dii, qui Graecorum aut Trojanorum rebus singuntur patrocinantes, a poetis temere inventi sunt aut excogitati, sed ex popularium sermone et consuetudine assumpti ('). Doriensium autem res hac quidem aetate satis tenues atque angustis finibus circumscripae erant: quae tum primum pullulare atque augeri coeperunt. Nam post Troiam dirutam octoginta anni intercedunt, donec sedes suas in Peloponneso Dorienses collocant. Itaque ante eorum imperium quum Apollo summum iam apud ceteras gentes locum obtinuerit, sequitur, non ab iis hoc numen in Graeciam primum invectum esse: quamquam minime negatur, cultui Apollino posteriore tempore Dorienses imprimis fuisse addictos atque non solum ad propagandam et confirmandam Apollinis auctoritatem, sed etiam ad ipsius formam praecclare excolandam multum contulisse. Quamobrem Hitzigius l. l. recte monuit: Müller zeigt nur, daß den Apollo nicht alle pelasgischen Völker kannten. Die Dorier waren ein solches; als Hellenen sind sie aus der pelasgischen Einheit hervorgegangen, und ich vermisste den Beweis, daß erst mit oder nach ihrer Ausscheidung, daß erst seit sie Dorier heißen, Apollo unter ihnen aufkam. Accedit, quod carmina Homerica non in ipsa Graecia, ubi Dorienses imperium obtinebant, sed in Asiae ea parte, quae cum Dorian-

(') Dictum Herodoti II. 53: οὗτοι δέ εἰσιν οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἑλλησι καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημύναντες, a recentioribus tandem ita explicatum est, ut opiniones eorum, qui deos Graecorum ab Homero inventos putarent, in saeculum refutatae videantur. cf. Edermann, Religionsgesch. und Myth. I. 228: Die Religion ist ohne Zweifel uralt, und war schon vor den letzten Wanderungen ausgebildet. Für diese Ansicht stimmen schon allgemeine Gründe, denn das religiöse Leben ist immer das erste. Erst setzt sich der Glaube an die Götter fest, und dann schließt sich Cult, Poësie und Kunst daran.

sibus nullo commercio esset coniuncta, confecta sunt. Quibus rebus certum esse videtur, Apollinis originem altius quam a Doriensibus repetendam esse. Hoc igitur primum ex carminibus Homeris colligitur.

Alia autem in iis dicta sunt, quibus etiam apertius indicatur, iam ante Homerum, velante quam a Graecis expeditio illa in Troiam facta est, Apollinis cultum et maxime fuisse dilatatum et multis in oppidis primo loco habitum. Nam apud Ithacenses iam tum Apollini non modo tempa et sacra dedicata erant, sed etiam festa instituta <sup>(1)</sup>). Et Delphis Apollo oracula edere iamiam coepерat <sup>(2)</sup>). Pergami in Asia opulentum ei templum conditum erat <sup>(3)</sup>). Tum cantica illa, quae eius numine sacra sunt paeanesque vocantur, iam in usum Graeci acceperant: *οἱ δὲ πανηγέροι μολπῇ θεὸν ἔλασσοντο, καλὸν ἀείδοντες παιόνα, ζωῦσοι Ἀχαιῶν, μέλποντες Ἐπάεργον.* Il. I. 472 sqq. Chryses, Apollinis sacerdos, appellat eum et Chryses et Cillae et Tenedi dominum <sup>(4)</sup>). Omnino Apollo in implorandis diis immortalibus atque appellandis nunquam silentio praetermittitur, sed una cum Jove patre et Minerva appellatur: *εἰ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναῖς καὶ Ἀπολλόν!* <sup>(5)</sup>) Quod maximi momenti est; neque enim nomen eius ita cum Jove coniunxissent, si minor ei auctoritas fuisse. Tum Troia urbs ipsa ab eo condita fuisse dicitur: denique Apollo in Ida monte Laomedontis gregem et in Thessalia Euneli equas pavisse fertur <sup>(6)</sup>). Haec igitur de numinis Apollinei vetustate ex uno Homero collecta sunt.

Quae et aliis testimoniis praecclare probantur. Olen enim, vates ille vetustissimus, qui hymnorum antiquissimorum auctor fuisse laudatur, Apollinis nomen et cultum prae se fert <sup>(7)</sup>). Eiusdemque generis Philammon est. Deinde Carmanor et Chrysothemis, sacerdotes illi Cretenses, ab Apolline summum expiandi munus suscepisse traduntur plurimumque iam tum tota Graecia auctoritate valebant: quibus manifestum est, etiam in Creta insula tempore antiquissimo Apollinem imprimis cultum esse. Ex Creta praeterea oraculum Apollinis Delphicum multis sacris institutis magna- que auctoritate auctum est <sup>(8)</sup>). Athenis Apollo *πατρῷος* templum habebat antiquissimum et nomen

1) cf. Od. XX. 278. XXI. 258. 267: *ἄλσος ἵεσόν ετ τὸν μὲν γὰρ κατὰ δῆμον ἐορτὴ τοῦ θεοῦ ἄγνη.*

2) cf. Od. 8. 79: *ὡς γάρ οἱ χοεῖνοι μυθήσατο Φοῖβος Ἀπολλόν*  
*Πυθοῖ ἐν ὑγαθέῃ, δε δὲ ἐπέρθη λάινον οὐδὸν χειρόμενος.*

3) cf. Il. V. 446: *Περγάμῳ εἰν ἵεσῃ, δοθοὶ οἱ νηὸς γένεταικτο.*

4) cf. Il. I. 37: *Κλῆθι μοι, Ἀργηότος,* δε *Χρύσων ἀμφιβέβρυτας,*  
*Κάλλας τε ξαθέντην, Τερέδοιό τε ιψι ἀνάσσεις.*

5) cf. Il. XVI. 97.

6) cf. Il. XXI. 448.

7) cf. Herod. IV. 35: *οὗτος δὴ δὲ Οὐλῆν καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς παλαιοὺς ὅμινους ἐποίεσεν ἐν Αυτῆς ἐλθών, τοὺς δειπομένους ἐν Δήλῳ.* Paus. X. 5. 4:

*Ἐνθα τοι εὔμηντοι χρηστήριον ἐκτελέσαντο,*  
*Παιδεῖς Υπερβορέων Ηαγασός καὶ διος Ἄγνιεις,*  
*Οὐλῆν δὲ, δε γένετο πρῶτος Φοῖβοι προφήτας,*  
*πρῶτος δὲ δεζαλον ἐπίων τεκτήρας δοιδάν.*

8) De quo uberioris disputavi in dissertatione, quam de oraculo Apollinis Delphico nuper scripsi.

Lycei (*Λύκειον γυμνάσιον*) ab Apolline repetitur (1): quamquam Dorienses Atticam nunquam occupaverunt. Argis Apollini iam a Danao sacrum conditum est, qui anno millesimo sexcentesimo ante Christum natum in Graeciam advenisse traditur. Eodem modo Megaris Alcathous, Pelopis filius, Apollini sacrum instituisse fertur; Pelops autem anno millesimo trecentesimo advenisse dicitur (2). Delos vero insula antiquitus sacris Apollineis fuit tam celebris, ut ibi Apollinem e Latona natum esse narrarent. Et Troezeni in Graecia et in ora Messeniae maritima et Didymis in Asia multisque aliis in oppidis sacra Apollinea vetustissima fuisse traduntur (3). Quamobrem in hymno Homericō tanta iam Apollini inter deos auctoritas tribuitur, ut quoties Olympum intret, ceteri dii omnes, salutandi causa, e sedibus suis assurgere dicantur (4).

Nullum igitur dubium est, quin Apollo originem duxerit vetustissimam atque maiores, quam quae a Doriensibus repeti possit. Quae unde repetenda sit, ab Homero id quoque indicatum esse puto. Neque enim parvi momenti mihi quidem esse videtur, quos Homerus deos pro Graecis, quosve pro Trojanis pugnantes faciat. Stant igitur a partibus Graecorum Minerva, Juno, Neptunus, Mercurius; a partibus Trojanorum Apollo, Mars, Venus, Diana, Latona. Ex his autem diis qui Troiam defendunt Venerem et Martem tempore antiquissimo non graecos, sed ab alienis gentibus acceptos fuisse, omnes iam consentiunt. Restant Latona, Diana, Apollo, quorum origines tam arte cohaerent, ut Latona Diana et Apollinis mater dicatur. De iis igitur quamquam non eadem inter viros doctos est consensio, tamen ex origine Martis et Veneris, qui Latonae eiusque liberorum socii perhibentur, facile colligas, et ipsum Apollinem ab initio non gracium fuisse, sed aliunde in Graeciam translatum. An putas, elegantiam illam poeticam, quam in reliquo carmine tantopere admiramus, in hac deorum partitione solum esse neglectam (5)? Quare nonnulli e nostris commoti sunt, ut

1) cf. R. G. Hermann, Staatsalterth. §. 96. 8. Schwend, Mythologie I. 116: Zu Athen soll das Lykeion zuerst ein Heiligtum des Apollon gewesen sein, erbaut von Pandions Sohn Lycos, und da soll er zuerst Lycos genannt worden sein.

2) cf. Raoul-Rochette, hist. crit. de l'établ. des colonies gr. I. 60 sqq.

3) cf. Paus. VII. 2. 4 et all.

4) cf. Hymn. in Apoll. Homeric. 1 sqq.

*Μήδουμαι οὐδὲ λάθωμαι Ἀπόλλωνος ἐκάτοιο,  
ὅτε θεοὶ κατὰ δῶμα Διὸς τρομέουσιν ἴστα·  
καὶ δέ τ' ἀναίσουσιν, ἐπισχεδὸν ἐργομένοις,  
πάντες ἀφ' ἑδρῶν, ὅτε φαῖδιμα τόξα τιτανεῖ.  
Ἄγριοὶ δοῦλη μήρε παρὰ Λῦ τερπικεραύνῳ,  
ἢ φαίνεται τὸν ἐχάλισσε καὶ ἐκλίψσε φαείρον·  
καὶ οἱ ἀπῆρθιμοι ὄμοιοι χειροσαντέλουσα  
τόξον, ἀτεκρέμασε πρὸς κλούα πατρός ἕπο  
παπαῖδου ἐξ χενούσου τὸν δὲ τρόνον εἰσεν ἔγουσα.  
τῷ δᾶρα νέκταροι ἵδωσε πατήρ, δέπαι χενούσιο  
δεικνύμενος φίλον νιόν· Ἐκεῖτα δὲ δαμονες ἄλλοι  
ἴνθα καθίσουσιν· καλοὶ δέ τε πότνια Αἴγαροι  
οὖντα τοξοφόρον καὶ κατεργὸν νιόν ἔτικτεν.*

5) Quod Eckermannus sic explicare conatur: Großen Einfluss auf das Ansehen der einzelnen Götter hatte einerseits der Rahmen einzelner Cultusheiligtümer, andererseits erhärtet sich dieses aus der Rolle, welche sie in früher Zeit spielten. Zeus, Athene und Apollon waren immer Hauptgötter, und der Kypris meint man es recht gut an, daß ihre Tempel ausländische Heiligtümer waren. Religionsgesch. u. Mythol. I. 280.

Apollinem e Lycia ducendum esse dicent. Beide, inquit Schwenckius, (Apollo et Diana) waren ursprünglich Lykische Gottheiten, wie denn Homer den Apollon wiederholt den Lykier nennt, Söhne der Lade, d. i. der Herrin, der Frau, woraus die Griechen Leda und Leto bildeten (¹). Sed vereor, ne in Lycia isti nimis haereant. Jam enim ex Homericis illis, quae supra collegi, elucescit, Apollinem non minus a Trojanis cultum fuisse quam a Lyciis. Eckermannus: Die Aeneaden, inquit, verehrten vielleicht den Apollon, dies Geschlecht bestand noch später, und noch in Herodots Tagen hatten Teufrische Städte diesen Dienst, wie Gergis, wo ein Sibyllinisches Oraef war. Apollon verläßt den Aeneas nie (²). Quo accedit, quod summa illa auctoritas, quam inde ab antiquissimis temporibus tota fere Graecia Apollini tributam esse supra ostendi, maior esse videtur, quam quae per paucos e Lycia advenas in Graeciam illata esse possit. Sed statuamus necesse est, non a solis Lyciis, sed a magna illa gente, quae oras maritimas Asiae minoris aetate antiquissima occupaverat, et sicut Pelasgi, qui eodem tempore oras praecipue Europae tenebant, postea in plures gentes discessit, Apollinem primum habitum maximeque cultum fuisse. Cui genti Apollo primus ac summus deus fuit, quemadmodum Jupiter Pelasgis. Unde praeclare intelligitur, quare Italiae gentes, quae cum Graecis nonnisi per Pelasgos coniunctae erant, Apollinem ab initio non coluerint; posteriore enim tempore hae quidem Apollinem a Graecis acceperunt (³).

His igitur exploratis, iam proximum esse videtur, ut de nomine Apollinis quid sentiam, brevibus verbis dicam. Ex iis, quae de Apollinis origine supra a me exposita sunt, apertum et manifestum est, e Graecorum lingua repeti Apollinem non posse (⁴). Sed ab iis gentibus, quae Asiae minoris oras maritimas antiquitus tenebant magnumque cum Graecia per insulas interiectas exercebant commercium (⁵), nomen Apollinis ducendum est. Quae gentes maximam partem una illa natione censentur, quae semitica vocatur (⁶). Semitica igitur natio in plurimas quidem gentes divisa est: omnibus autem gentibus unus idemque deus supremus erat, qui lingua vernacula „Bel“ appellabatur. Belus, inquit Plinius (h. n. 6. 30), sacratissimus Assyriorum deus. Quem Kanneius eundem esse deum existimavit atque apud Indos qui vocatur „Bali“, et quem Galli „Belenum“ nominabant. Beli templum notissimum et celeberrimum fuit apud Babylonios. Aliae gentes semitiae deum illum non

1) Mythologie I. 109.

2) Religionsgesch. u. Mythol. I. 277.

3) Schwend, Mythologie II. 104: Den Apollo nahmen die Römer von den Griechen an, ohne daß wir wissen, zu welcher Zeit und er ward bei den Römern ganz eben so betrachtet, wie bei den Griechen.

4) cf. Hübig I. 1: Keine der Ableitungen aus dem Griechischen läßt sich hinreichend vollziehen.

5) cf. Strab. XIII. 2: ποσὶ πάσαν γὰρ τὴν παρὰλας ταύτην ὁ Ἀπόλλων ἐκτείνεται μέχει Τερέδου, Σμυρνῆς ἢ Κιλλαῖος, ἢ Γευνεύς, ἢ τινα ἄλλην ἐπωνυμίαν ἔχων.

6) Jam Moses (L. 10) Lydos dicit semiticos cf. Haneberg, Einleitung p. 50: Lud-Lydiern in Kleinasien, zu denen auch die Cartier und Myster gehörten. Notum est, Asiam minorem aetate antiquissima magnam partem Assyriorum imperio suis subiectam. Herodotus (I. 7) Lydorum reges ab Assyriis repetit atque monumenta illa, quae a Sesostri condita Horodotus refert (II. 106), per Lepsum nostrum nuper Assyriis vindicata sunt. Neque apud Homerum ipsum desideratur gentis semitiae commemoration: τηλόθεν ἡ Αλιβῆς, ὅθεν ἀρύνον δοτὶ γενεθλη, in quo versu Αλιβῆς nomine Chaldaeos designari iam Strabo animadvertisit XII. 3: ἦτοι τῆς γεραφῆς μετατεθελης ἀπὸ τοῦ τηλόθεν ἐκ Χαλιβῆς, ἥ τῶν ἀνθρώπων πρότερον Αλιβῶν λεγομένων ἀτὶ Χαλιβῶν.

Bel (בָּל), sed Baal (בָּאֵל) appellabant, ut Syrii, Phoenices, Poeni. In Apolline autem mirandum est, quantam huius nominis forma antiquissima (1) cum Belo prodat similitudinem. Nam teste Hesychio Apollo tempore antiquissimo non Ἀπόλλων, sed Ἀβέλιος dictus est. Itaque genuinum Apollinis nomen equidem puto fuisse „Bel“. Quod nomen lingua graeca pronunciandum erat Βέλιος, sive Βέλιος, quemadmodum a verbo οὐρανός derivatur οὐράνιος, φόρος a φόρος, aliaque eiusdem generis, ut Κοστήθιος, Σαλαμίνιος, Ασαρεδαιμόνιος. Dicat forsitan aliquis, literam A Belio praefixam nihil aliud esse quam articulum (ה) e lingua semitica nomini adiectum. At haec explicatio difficilior mihi quidem et linguae graecae minus apta esse videtur. Haec enim litera et aliis graecis verbis saepe ita praeposita est, ut notione nihil mutata unius eiusdemque verbi duae formae efficiantur. Quod „α“ grammatici vocant euphonicum, vel collectivum (ἀθροιστικόν), vel intensivum. Sie perhibentur verba ἀμαυρός et μαυρός, ἀβληζός et βληζός, ἀσταλώ et σταλώ, ἀσταχνός et στάχνη, ἀστεροπή et στεροπή, alia. cf. Kühner Grammatik §. 20. II. 4. Quamobrem quod ex Βέλιος factum est Ἀβέλιος, nihil est quod dubites. Altera nominis forma „Ἀπέλλων“ eodem modo facta esse videtur ex „Bel“ ut Ἀβέλιος. Ab Ἀπέλλων autem forma usitata Ἀπόλλων facillime repetitur.

Minime igitur dubium esse potest, quin nostrae nominis interpretationi summa fides habenda sit: quae non solum ipsius formae ratione facile conceditur, sed etiam ceterarum rerum testimonio summopere commendatur. Unum autem restare videtur, quod de illa Apollinis patria dubitationem iniicere possit. Est vero illud, quod contra Muellerum Apollinisque originem a Doriensibus repetitam supra commemoravi. Dixi enim, huic numini iam aetate antiquissima eum tributum esse cultum eamque auctoritatem, ut altius quam a Doriensibus hoc numen ducendum sit. Quod argumentum, quaerat forsitan quis, num semiticam Apollinis originem, quae a nobis statuitur, non eodem modo dubiam faciat atque illam, quae a Doriensibus repetitur? At nihil est, quod te commoveat. Primum enim gentes semitiae, quae tum Asiam incolebant, tam multae erant tantumque opulentia et multitudine terra marique valebant, ut plurimae ab iis coloniae iam antiquitus in omnes fere Europae et Africæ oras deducerentur. Deinde et ipsi scriptores antiqui migrationes in Graeciam ex Asia factas saepissime commemorant. Ut missos faciam Pelopem et Cadmum, quam multa nobis de una Lycia tradita sunt, quibus illa inter Asiam et Graeciam commercia probantur! Lyiae prisci incolae ab Homero appellantur Solymi (2), qui per Pamphyliam et Pisidiam usque ad Taurum montem postea fines suos dilataverunt (3). Solymi autem iam cum Cretensibus congressi esse dicuntur. Nam Minois aetate Termili ex Creta insula in Lyciam migrarunt Solymosque expu-

1) Omnino in explicandis nominibus non eas formae, quae postea usitatae atque hominum ore tritae fuerunt, sed eas, quae antiquissimae et genuinae videntur, adhibendae sunt. Quod quum in aliis diis factum sit (*Ποσειδῶν Ποτιδᾶς*), cur in Apolline negligitur?

2) cf. Il. VI. 480. X. 430.

3) cf. Strab. I. 21. Ex quorum nomine gentem semiticam facile cognoscet, quum nomen של Linguae semiticae proprium sit. Praeterea Choerilus eos semiticos vocat apud Eus. P. E. 4. 9.

lerunt (<sup>1</sup>). Quo facto non solum Termilorum nomen in Lycios mutatum est, sed etiam Athenarum aliqua cum Lycia coniunctio innuitur. Lycum enim, a quo Lycii nomen accepisse feruntur, Athenis ab Aegeo fratre electum Asiam petuisse narrant. Lycii praeterea Sarpedonem (<sup>2</sup>), Minois fratrem, summa religione colebant (<sup>3</sup>); Xanthus, Lyciae flumen, parens Minois vocatur (<sup>4</sup>). Denique fabulae Apollineae, quas Lycii habuerunt, placentarumque oblationes illae Asiae cum Graecia coniunctionem de qua disputamus confirmant (<sup>5</sup>). Sed quid loquor de multis illis ac paene innumeris, quae ex Asia in Graeciam factae sunt, migrationibus? Quae satis notae sunt atque ab omnibus facile conceduntur. Recte igitur statuimus, ex Asia etiam Apollinem facilime tum in Graeciam invehiri potuiss. Quo accedit illud praeclarissimum, quod Apollinis sacra vetustissima, quae quidem in Graecia condita sunt, plerumque mari adiacebant. Quae fuerunt Taenari in Laconia (<sup>6</sup>), in Calauria insula (<sup>7</sup>), in Isthmo (<sup>8</sup>), Troezene (<sup>9</sup>), Argis (<sup>10</sup>), in Delo insula, Athenis (<sup>11</sup>), Delphis (Crissae). Quare Huellmannus quum animadvertisset, diis antiquis et ipsarum gentium fortunam indicari, in illis oppidis colonos mari advectos consedisse recte monuit: erravit autem vir egregius, quod hos colonos ex Aegypto advenisse existimavit, Herodoti (II. 144, 156) verbis falsus, qui Horum Aegyptium Apollinem vocavit (<sup>12</sup>). A nobis autem Apollo ex iis terris atque ab ea gente ductus est, unde et ceterae res eius omnes repetuntur. Haec de Apollinis origine dicta sunt.

Postquam autem cognitum est, unde in Graeciam Apollo inactus sit, in naturam huius dei antiquissimam inquirere licet: quae quidem eius generis fuerit quasque potissimum in partes paulatim Graecorum ingenio sit exculta, ubi primum opportunitas fuerit oblata, explicare iuvabit.

1) cf. Strab. XII. 573, XIV. 667.

2) Etiam huius nominis origo semitica שָׁרְפָּלָו (= princeps redimens) in aperto est.

3) cf. Diod. V. 56. Apollod. 3. i. i.

4) cf. Strab. XIV. ep. 3. August. C. D. 18, 12.

5) cf. Müller, Dorier I. 218. 274.

6) cf. Strab. II. 185. VIII. 558.

7) cf. Strab. VIII. 574. Paus. II. 33.

8) cf. Paus. II. 1. 6.

9) cf. Paus. II. 31.

10) cf. Paus. II. 23. 24.

11) cf. R. G. Hermann, Staatsalterthümer 96, 8. 100, 5.

12) cf. Anjänge der griech. Geschiäfte, p. 56 sqq.

